

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

Q. D. B. V. 24
DE
LOGICES
PROTHEORIA
GENERALI,

sive
PRÆCOGNITIS UTILIBUS,
PRÆSES
M. PAULUS PLATANI,
Muotovâ-

&
RESPONDENS
GABRIEL TRUSIUS,
Veterisfolio-Hungari,

*Ad diem 12. Augusti, horis antemeridianis,
A. O. R. cl^o h^o LXXVI.*

In Auditorio Philosophico
publicè disputabunt.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typ.
Excudebat SIMON LIBERHIRT.

h. IV. 2790

VIRIS
SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO
DN. JOHANNI DEUTSCHMANNO,
SS. Theol. Doctori, ejusdemq; in Academia Witteberg. Profesi. Publ.
celeberrimo, Electoralium Alumnorum Ephoro gravissimo,

Nec non
PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO, atq; EXCELLENTISSIMO
DN. GEORGIO VVAGNERO,

SS. Theolog. Licentiato, Ecclesie Zahnenfis Pastori & Su-
perintendenti dignissimo,

*Dominis, Patronis, Præceptoribus ac studiorum meorum Promotori-
bus æternum devenemendis,*

Salutem & Felicitatem perpetuam!

Non potuit, VIRI EXCELLENTISSIMI, clientis Vestri cultus
in primo suo conatu ita immemor esse magnæ in se benevolentie, ut
quorum jam pridem tenerrimum amorem & patrocinium singulare
sensit, eos grati animi iudicio non condecoraret. Dabitur autem veniam,
quod iniquioris fortunæ vitio non liceat majus erga Vos affectus sinceri docu-
mentum edere, quàm hoc usu tritum, & sublimibus iudicis indignum. Da-
mnavit me ad hos infelicitatis calus, exulcerata Patriæ facies, à qua dum auxi-
lia studiis expectabam, viduata Literarum Nutritiis auxit nimium vitæ Acade-
micæ angustias. Miror verò, sed simul veneror Benignissimi Numinis gra-
tiam, quod licuerit cum honesti Nominis incremento tranquillum vitæ spiri-
tum hucusq; conservare. Quod genus Beneficii post DEUM Tibi, MAGNI-
FICE DN. DEUTSCHMANNE, potissimum debeo, quod in his angustis nō
defecerim: Tuo favore animatus & adjutus beneficio, nunc prodeò in lucem.
Nec Tuæ, PL. REVERENDE DN. WAGNERE, publicè nuper oblata Bene-
volentie oblicisci volui, quin vehementer gratam mihi fuisse publico o-
ritidem testimoniò ostendam. Habetis igitur p̄i erga vos animi testimonium,
quod ex modestiæ, quâ à natura estis affecti, temperamento, non ex precio
vos æstimaturos, & intrepidè conspectum Vestrum subiens æterni obfidis locò
accepturos esse humillimè mihi persuadeo

Præses
M. Paulus Platani

Præfatio.



um *Veritas* multis innexa sit difficultatum spiculis, & plerumq; ex abstrusis Naturæ latebris eruenda, non minùs de præfidiis, quibus in lucem protrahatur, quàm de ipsa Veritate solliciti esse debemus. *Frustra enim est natura ingeneratum discendi desiderium, nisi arte juvetur, & præceptis in errores potius ruit, quàm ex errorum Labyrintho eluctatur, nisi lumen, per sinuosos anfractus ad Veritatis regiam contendens, lequatur.* Nec ad eruendam solùm latentis adhuc veritatis lucem; sed ad conservandam quoque maximò opus est instrumentorum apparatus. Persepe etenim tantis fallaciarum machinis ab ingeniosa calliditate oppugnatur (licet nunquam expugnetur) ut prorsus ex oculis nostris subducta, aut prorsus oppressa esse videatur. Sed quò stratagematum genere, aut quibus arietibus hanc Veritatis Arcem imperat? dixerim ego, sed modestè, sed sine vulnere Veritatis, ancillantibus *Logica Artibus*: eam enim, quam natura ac usus *sequestram veri & falsi* voluit esse, abusus ad ministerium falsitatis condemnavit. Inde igitur paranda remedia, unde nascuntur morbi: obstruendæ fallaciarum rimæ, è quibus cæ plenis alveis sese in veritatem evolvunt: ac laborandum, ut curâ diligentiori pertractentur *Logica Studia*, quorum accuratâ cognitione nescio an quicquam homini, quàm homo est ad intellectualem vitam natus, optabilius esse possit, inquit B. Dannhavvero (a). Idem iudicium jam olim fuisse Hieronymi ex citato subtilissimo Autore (b) patet: *Verè quicquid in seculo dogmatum perversorum est, quicquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum: hoc Dialecticâ arte subvertitur, ut instar incendii in cineres favillasq; dissolvatur, ut probeatur nibili, quod putabatur esse fortissimum.* His suffragatur B. Jac. Martini, qui ait: *Nullus est error in Theologia, què adhibitiò ad S. Scripturam instrumentò hoc nostrò non possit commodè refutari. Nullum est verum, quod non possit eodem & inveniri promptius, & doceri explicatiùs, & confirmari certius &c.* Ubi pluribus encomiis ornat hoc instrumentum Veritatis (c). Etsi unquam desideravit exquisitissimi laboris cultum, hoc sane exulcerato omnium rerum tempore, maximè efflagitat:

A 2

quò

(a) In I. B. D. p. 2. (b) Polemosoph. Artic. 3. §. 12. pag. 25. & seq. (c) In Præfatione Institutionum Logicarum.

quò *Jesuitarum* insolentissimum illud hominum genus plenis velut castris imminet veritatè, dumq; aperta vi nequeat eam subruere, per occultos *Artis Sophisticæ* cuniculos eam oppugnat. Gemina enim potissimum *artis præsidio* sese armat nigra cohors, *Eloquentiæ* nimirum & *Logicæ*, alterum ad auræ popularis aucupium, alterum ad obscurandam orthodoxæ *Veritatis* Lucem commodum arbitans artificium. Sed non committendum ingenuis, ut his armis in nostra sæviant viscera, ac victorias serant de imbelibus, quin pro virili enitendum, ut paribus armis hæc sæviendi libido refrenata procul ad *Orcum* usq; unde natales suos ducit, à pomœriis *Ecclesiæ* propulsetur. Quare non ex quæstu studia æstimantes, sed ex publica utilitate, volumus præsentis *Exercitiò* *Logicæ* studium honorare, ac de *Præcognitis*, quæ maximè in litem veniunt, publicè disserere. *Cœlestis Veritas* adspiret conatibus nostris, & faciat, ut ritè verum à falso discernere possimus!

§. I.

Sicut alii *Habitus Scibilium* tractantur partim *Præcognitis* partim *Essentialibus*: ita *Logicæ* tractatio hac viâ trita instituitur. Nam cum *Intellectus* noster in *cognitione objectorum* propter infirmitatem *Intellectionis* procedat ab imperfectiori ad perfectum, à confusis ad distincta, ideò objectum id, circa quod cognoscendum occupatur, primùm in genere, & per quandam umbratilem delineationem sibi sistit & repræsentat, donec distinctè secundùm omnes partes illud ipsum cognoscat. Ob quam *duplicem Intellectus in Objectum tendentiam*, duplex *Tractatio* disciplinæ instituitur: eaq; altera *extressentialis*, altera *essentialis* nuncupatur: in illa *superficiaria* habitus adumbratio, in hac *accuratior* omnium, quæ ad eum cognoscendum pertinent, *evolutio* instituitur. Illa *Præcognitorum*, hæc *Systematis* nomine communiter apud *Philosophos* venit. Unde aliud esse dicunt *Præcepta Artis dare*, aliud *universalem Artis Ideam delineare*.

§. II. Hinc liquet, quod cum *Organi* hujus tractatio distinguatur in *Præcognita* & *Essentialia*, non spectetur absolutè & in se, sed relatè & in respectu discipulis, quatenus *Logica* est disciplina & communicabilis cum alio. Hujus igitur respectu, ad Auditoris nempe docilitatem, proponuntur *Præcognita*, ut, ubi intellexerit, quid in aliqua disciplinari tractatione expectare debeat, attentiores se ad hujus *Disciplina* auscultationem præbeat, & sic totius *Disciplina* artificiosam, dispositionem, unitatem & naturam præ oculis habeat,

babeat, cujus beneficio in ipsa deinceps tractatione eò feliciter progrediatur, ut loquitur B. Klotzius (d). Et B. Scharffius (e) tres ob causas Necessaria esse Præcognita dicit: partim ne in ignota versemur sylva; partim quod universa doctrina ex anticipata & prælibata cognitione pendeat: partim ut unò quasi intuitu conspiciatur, & ως ἐν τύπῳ representetur. His pensis habitis eòdem Tractationis processu meritò Logica tradi solet, ut quasi totius systematis per brevem quandam delineationem Logices Tyroni sub obtutum sistatur, e. jusq; ad specialiores cognitionem desiderium incendatur ac extimuletur.

§. III. Præcognita verò Logices juxta recentiores, eosq; accuratiores, qui methodò practicà eam tradunt duplicis generis constituuntur: alia de *Disciplina*, ejusq; *Natura*, sive *Utilia*, quæ ad melius esse tractationis requiruntur, & sine mutilatione *Disciplinæ* omitti possunt, aut etiam ad calcem reservari: alia in *Disciplina*, sive *Necessaria*, quæ ad esse requiruntur, & ita comparata sunt, ut ad perfectionem pertineant, nec citra mutilationem *Disciplinæ* omitti possint: de qua forma tractandi docet locupletissimè *Venerandus noster* Dn. D. Calovius (f). In illis usitatè tradi solent, quæ de *Logice Naturæ* præcognoscenda veniunt, & quorum cognitio prævia velut *Mercurialis Statua* notificat quæ eundem sit, hoc est, quid aut quomodo tractari in *Disciplina* debeat. In his *Finis* & *Subjectum* ejusdem expendi debet, sine quibus *disciplina* esse non potest. Nam *Finis* præmittendus est necessariò: Quia frustra est de *Mediis* omnis consultatio, nisi ad finem dirigatur. *Subjectum* verò ideò præsupponitur, quod in ignoto nemo operari possit, neque operationis ratio constet incognitò *subjecto*.

§. IV. Quæ ratio *Tractationis* duplici nititur fundamentò: (1.) *analogiâ aliorum Habituum Practicorum*, qui itidem hac viâ tractantur, ita ut ante omnia præcognoscantur partim *utilia*, partim *necessaria*: ut vel solius *Scientiæ Moralis* exemplo id clarissimum esse possit. (2.) *Indole eorum, quæ in Logica tractantur*: quorum quædam ita sunt comparata, ut liberè tractari, præmitti aut postponi, vel etiam planè omitti possint; quædam verò ita habent, ut planè omitti nō possint, sine hujus *Disciplinæ* imperfectione. Nisi enim certò constiterit *Finis*, à quo media specificantur, nec *Objectum* fuerit præcognitum, quod *Operationi* subternitur, frustra de *Mediis* consultabit *Logicus*, ut loquitur præfatus *Magnif. Dn. D. Calov.* (g) Adeoq; Utilia

A 3

(d) In *Theolog. Natur. Diss. I. Proem. Thes. 1. p. 1.* (e) In *Theoria Transcendentali de Naturæ Metaphysicæ Th. 1. p. 5.* (f) In *Methodo Docendi Universalis, de Præcognitis Disciplinarum Practicarum, p. m. 671. & p. 685. seqq.* (g) l. c. p. 686.

Utilia perinde se habent ad Habitum Disciplinarem, 'ut se habet Exordium ad Orationem, Vestibulum ad Domus integritatem, aut (ut ita barbarè cum Spenglero (b) loquar) Præambulum, in quo Organædus cantionem aliquam pulsando auspicatorum generaliter prius integram quasi delineat, partim favoris demerendi gratiâ, partim intimandi canturis tonum causâ: ita Utilia Præcognita præmitti solent à Doctoribus. Secus verò res habet cum *Necessariis*: nisi enim hæc præmittantur, uti jam sæpius dictum, manca & mutila evadet tractatio.

§. V. Hæc suppositâ hypothesi tanquam vera, falsa erit *Opinio Ramæorum*, qui putant omnia Præcognita ad essentiã tractationis pertinere, & necessario, non vero liberè, quædam præmitti aut etiam omitti. posse. Falsus quoq; imò etiã injuriosus est *Gubertus ab Isendoorn*(c), Philosophus aliàs acutissimus, accusans eos frigiditatis & imperitiæ, qui Logicæ naturam & partes ad Prolegomena sive Præcognita referunt. Neq; ratio, quâ ille nititur, tanti momenti est, ut Viros doctissimos ob eam puerilis incognitantiæ accuset. Dicit verò sic inferendo: Ea, quæ Naturam & essentiã explicant, pertinent ad essentialia, quod definitio & divisio facit. Nam scire debebat Vir Doctissimus quod duplex alicujus rei *Tractatio* dari possit, *confusa* alia, *alia distincta*: illa ex Præcognitis hauritur, in quibus universalis idea proponitur; hæc non nisi omnium partium habitus alicujus evolutione, quæ ipsam essentialem Tractationem absolvunt, haberi potest.

§. VI. Sed ut ea, quæ ad Præcognita Utilia tractanda pertinent, & quidem quæ momentum primum concernunt, persequamur, ratio instituti nostri nos invitât. Ex his autem primû est *Existentiã*, circa quam inquiritur, tum absolutè: *an sit Logica?* tum restrictè, quoad Esse distinctum: *an nempe sit ab aliis disciplinis distincta?* Eam verò, etsi adeò dubia non sit, tamè methodi legitimæ observandæ causâ hic confirmandam esse existimamus. Probatur igitur *quâ esse distinctum*: (nam, hoc obtentò, ultrò esse absolutum patebit:) (1.) *ex distincto objecto ejus formali*, per quod quævis Disciplina in esse suo constituitur & specificatur: Jam quòd Logica tale Objectum habeat, per quod in esse constituitur, & ab aliis distinguitur, clarissimum est, & patebit infra in assignatione objecti formalis Logicæ, de quo in Præcognitis *Necessariis* Logicæ agendum erit. (2.) *Ex discendi desiderio cuius humana natura implantato*, quod sanè frustra esset, nisi modus sciendi daretur, cujus beneficiò desiderium naturale perficeretur: At natura nihil fecit frustra: necessa.

(b) In *Exercitationib. Exerc. 6. de Præm. Logic. p. 425.* (c) In *Cursu Logico Systematico & Agonistico de Natura Logica Quest. 1. p. 10.*

necessariò igitur inferendum est dari aliquod medium, per quòd facultas illa naturalis juvetur. Hoc autem nullum aliud est præter Logicam, quæ regulatur ratio in cognoscendo vero. Vid. Gisbertus ab Isendoorn, (k) qui hæc pluribus confirmat.

§. VII. Alterum vero quòd ad momentum primum pertinet est *Essentia Logica*, quæ partim *Definitione*, partim *Causarum evolutione*, partim *Divisione* absoluitur. In illa tùm *Subiectum*, tùm *Prædicatum* Definibile explicantur: in ista verò causæ recententur: in hac representatur dispositio Objecti tractandi in suas quasi partes distributa. Quæquam verò vulgaria nimis, & omnibus, etiam Tyronibus Logicæ hic tractanda occurrant; tamen quia Præcognitorum tractatio ab illis dependet, non omninò silentio præteriri possunt. Cæterùm, ut ante omnia *Definitum*, quòd h. l. est *Logica*, expendamus, considerandum illud venit, vel *ratione Etymologia*, in qua origo investigatur: vel *ratione Homonymia*, in qua ambiguitas: vel deniq; *ratione Synonymia*, in qua significata æquie pollentia evolvuntur. Etenim cùm *νοῦσα* q. *νόημα* dicatur, eò quòd per nomen conceptum rei habeamus; & Latinis *Novimen*, quia in notitiam rei ante ignotæ nos deducit: ideò meritò de *Nominis Expositione* curam suscipimus, eam non planè inutilem futuram persuasi.

§. VIII. Est autem *Logica* Terminus origine *Græcus*; verùm sicut alia nomina Artium & Scientiarum Latinitate jam sunt donata, ita hujus Organi nomen peregrinam notionem exiit: nec Adjectivè; sed Substantivè ponitur, ut nomen Mathematicæ, Physicæ, Grammaticæ, Rhetoricæ. Derivatur autem ἀπὸ τῆς λόγῃ: qui autem ille λόγος sit, ob æquivocationem ejus dubium est. Quapropter vindicandus est prius ab ambiguitate, & tunc determinandum, à quo potissimùm genuinam originem ducat. Et quidem sumitur (1.) pro λόγῳ *Essentiali seu substantiali*: (2.) pro *mente & ratione humana*, sive *facultate ratiocinandi*, & (3.) pro *ipsa actione rationis*, adeoq; pro *sermone tam interno, quàm externo*, sive ille sit *scriptus*, quando scilicet intra mentem nostram conceptum scripto commendamus; sive *prolatus*, quando sermo intra mentem conceptus foras profertur, ut loquitur *Spenglerius* (l). *Prima* acceptio est planè ab hoc loco aliena: *altera & tertia* hic locum habet. Interim tamen primariò ab ipso sermone interno, secundariò ab externo derivari Logicam commodiùs certum est. *Inæqualitatis* hæc est *ratio*: quia potest Logicus esse discursus, etiamsi per sermonem externum sese non exerat, ut exemplo esse possunt illi, quibus natura vocis officium denegavit, vel aliò casu impediti animi conceptus foras proferre

(k) l. *supr.* citatò. (l) In *Exercit. Log. Exerc. 6. p. 427.*

proferre nequeunt. *Gisbertus ab Isendoorn* quinque acceptiones τὸ λό-
γῳ adducit, de quo potest videri suo loco (m). Hoc tantum tenendum,
quod Logica vi prioris derivatōis *Disciplina rationalis* vocetur, non tan-
tum quod sit à ratione tanquam causa *effectivè*, aut in ratione *subjectivè*
(hoc enim etiam cæteris habitibus commune est): sed quod se habeat ad ra-
tionem *terminativè ac directivè*, uti monet laudatus *Noldius* (n).

§. IX. Ratione ὁμωνυμίας Logica sumitur vel (1) *generalissimè*, pro om-
ni ea disciplina, quæ circa λόγῳ versatur, & hæc ratione complectitur
Grammaticam, Rhetoricam, &c: vel (2) *generaliter*, pro quacunq; ratione
differendi, sive ea sit connata sive acquisita: vel (3) *specialiter*, pro sola
disciplina, quæ tradit modum sciendi & differendi artificialem. *Prima*
acceptio est maximè impropria & abusiva, altera est communis etiam Lo-
gicæ improprie tali, *postrema* solum hic loci meretur sedem. Huc perti-
nent quoq; illæ *Distinctiones* Vulgares, quibus Logica distinguitur (a) in
Naturalem, Usualem & Artificialem. Naturalis, ut describit *Noldius* (o),
est potentia differendi congenita. Et hæc pollet quilibet mortalium na-
turali lumine præditus, ejusq; beneficiò valet veritatem & falsitatem co-
gnoscere, sive unum ex alio rationabiliter colligere. Hanc verò multum ju-
vare discen tes ut *Artificialem* deinceps commodiùs assequi possint, inquit
Spenglerus (p). *Usualis* (quam etiam alii *Experimentalem* vocant) est dex-
teritas ratiocinandi, solò usu absq; præceptis acquisita. Hæc pollent *Cau-*
fidici, Historici, & alii, qui longò usu atq; experientiâ notitiam rerum sibi
compararunt, & de rebus discursus movere nòrunt. *Artificialis* verò est
facultas, quæ certis suis gaudet præceptis, quibus ratio regulata de re qua-
vis dubia promptissimè discurrere valet. Hæc subdividitur (β). in *Doctri-*
nalem seu *Systematicam, & Habitualem*. Illa est compages Præceptorum
artis libro comprehensorum, & vocatur aliàs *Ectypa*: hæc verò est, quæ in
intellectu consistit, estq; qualitas frequentatis actibus roborata, ita facili-
tans Intellectus operationem, ut is expedite verum in rebus cognoscere
possit, vocaturq; aliàs *Archetypa*. *Habitualis* iterum subdividitur (γ) in
Docentem & Utentem. Illa est, quæ intellectus instruitur mediis de modo
cognoscendi veritatem, diciturq; *Logica abstracta*: hæc verò est, quando
juxta illa media mens progreditur ad certam operationem, eaq; præcepta,
quæ tradit Logica Docens de Apprehensione, Enunciatione, Syllogismo,
Methodo, applicat, & actu ipsò apprehendit, enunciat, discurret & ordi-
nat.

(m) loc: *supr. cir: Lib. 1. Cap. 2. Quest. 2. p. 10.* (n) *In Proæmio Logicae Re-*
cognitæ p. 1. (o) *h. c. p. 2.* (p) *l. 6. p. 428.*

nat. De quo videatur Noldius (9). Quam distinctionem Logicae Scoti & veteribus plerisque; Scholasticis, ac recentioribus, ut *Arriaga & Ideph. de Pennafiel* Excell: Dn. L. *Wagnerus* (r) adscribit.

§. X. Manet autem Difficultas, qualis inter has Logicae Distinctiones intercedat vel Unitas, vel Distinctio? an Unitas univoca, an analogica, an æquivoca tantum? an ite Distinctio essentialis ac realis, an verò accidentalis & rationis tantum? Quia itaq; diversa hic occurrunt membra, ideò necessum est, ut distinctè de illis iudicium instituamus, decisionemq; non tantum nostro, sed etiam aliorum calculò comprobemus. Et quidem de *Logica Systematica* lis perorata est, eam cum *Logica Habituali* non participare de *Logica natura* nisi nomen. Eò (1.) quòd non sit *Habitus*, sed potius *signum Habitùs*: nec sit *Qualitas* in mente hærens, sed *Quantitas*. Igitur non potest illa majorem convenientiam habere cum hac, quàm æquivocam: non secus ac imago & figura hominis convenit cum ipso vivo ac vero homine. Jam quæ differunt ut nudum signum, & res, quæ per illud Signum representatur, illa non conveniunt nisi nomine. Atqui *Logica Systematica & Habitualis* ita habent. Ergo. Deinde (2.) quæ differunt *Prædicamentis*, illa non possunt habere communem naturam, sed toto genere distinguuntur. Atqui *Logica Systematica & Habitualis*. E. Liqvet igitur hæc duo membra non convenire vel univocè vel analogicè, sed tantum æquivocè, simulq; distingvi essentialiter.

§. XI. De *Logica Naturali* itidem non est cur aliter sentiamus, cum & hæc non propriè loquendò sit *Logica*, & realiter ab *Habituali* differat, ut iudicat supra laudatus Dn. Lic: *Wagnerus* (s). Probamus (1.) quæ prius: Quæcunq; solo nomine conveniunt, & *Definitio* eorum planè diversa est, illa conveniunt tantum æquivocè. Atqui *Logica Nominalis & Habitualis*. E. Major est certa ex definitione ipsius terminal æquivoci. Min: prob: quia *Logica Habitualis* est perfectio superaddita potentia naturali, ac per crebros Exercitii actus comparatur: contra verò *Naturalis* est facilitas conata ex potentia intellectus immediatè fluens. (2.) Quæ posterius: Quæcunq; ut *species diversa differunt*, illa differunt realiter & essentialiter. Sed quæ differunt ut *Potentia naturalis & Habitus Potentiæ naturali superadditus*, illa differunt ut diversæ species. E. Maj: est certa, quia datur ali-

B

quod

(9) l. c. p. 3. (r.) In *Exercitatione: Logicarum Disputatione*. l. de *Præcognitio Logica* A. 1664. b. l. *habita*, Sect. .l. *Membr. 2. Art: 2. S. 5.* (s.) In *Disputatio: cit: Section: 1. Membr. 2. Art 2. S. 20. Paris.*

quod prædicatum essentialiter in uno, quod non datur in altero: quod est evidens essentialis distinctionis requisitum. *Min:* quia ab omnibus Logicis hætenus Potentia Naturalis & Habitus ut distinctæ Qualitatis species statuebantur. Manet igitur fixum, sicut convenientiam inter Logicam *Naturalem & Habitualem* non esse Univocam vel Analogam, sed tantum *Æquivocam*: ita distinctionem inter eas intercedere realem & essentialiter.

§. XII. Quod deniq; attinet *Logicam Experimentalem & Artificialem*, item *Docentem & Utentem*, de his non esse idem iudicium ferendum existimamus. Et quidem *Logicam Experimentalem & Artificialem* putamus *convenire essentialiter & differre tantum gradualiter*, quod ex eo conficitur: *Quæcunq; sub una Qualitatis specie continentur*, illa non differunt essentialiter. Atqui *Logica Experimentalis & Artificialis*. Ergo. *Maj:* patet, quia Species essentialiter non differunt (nisi velis intelligendam essentiam numericam) *Min:* prob: quia differunt ut perfectum & minus perfectum. *Artificialis* enim habet se ut *Qualitas roborata*, & sine formidine oppositi percipit veritatem; *Experimentalis* verò consistit in actibus nondum solidè regulatis, & fallitur fallitq; sæpius, ut loquitur *Exc: Wagnerus (1)*. Adeoq; non differunt nisi ut *Habitus & Dispositio Habitus*, quæ juxta Logicos non differunt specie, sed gradualiter. Interim tamen convenientia non est univoca, aut æquivoca saltem; sed analogica: quia non fit participatio æqualis de natura habitus. *Logica* autem *Docens & Utens*, juxta iudicium *Acutissimi Noldii (u)*, non differunt nisi ratione, id quod non sine fundamento asseritur. Quia (1.) *Logica* est *Habitus* non modò practicus, sed & instrumentalis. Ergò non modò tradere & describere naturam suorum instrumentorum debet, quod officium vulgò *Logicæ docentis* esse putatur; sed eorum usum, conando & agendo demonstrare. (2) Si *Logica* in usu constituta & ad res applicata, quam vocant *Logicam Abstractam*, desineret esse *Logica*, sequeretur etiam instrumentum, dum à causa sua principali elevatur, desinere esse instrumentum: siquidem in elevatione constitutum jam in usu est, & rebus applicatur. Atqui hoc est absurdum. Ergò & illud. (3.) Si propterea essentialis diversificatio statuenda esset, quia applicatur, & non applicatur, sequeretur etiam inter *Rhetoricam*, *Poëticam*, &c. talem differentiam intercedere, dum materiis *Theologicis*, *Physicis* &c. applicantur. At hoc est absurdum. E. & illud. (4) Si hæc distinctio

mere.

(1.) l. c. §. 3. *Porism.* (u) l. *supr. cit: Proæmio, Porism; 4. p. 13. & in Legibus Distingvendi p. 31.*

mereretur fidem, sequeretur, quod visus, quatenus est applicatus objecto colorato, culter, quatenus applicatus est pani scindendo, Item malleus, quatenus in operatione actu est constitutus, non maneat res ejusdem essentiae, sed planè aliam induant. Sed hoc est absurdum. E. & illud. Probè autem distingvendum esse censet supra commendatus Autor (u) inter Logicam Docentem, ut est in actu terminativo, & ut est in fluxu progressivo: illò, non hòc modò usum à Logica docente separari posse concedit.

§. XIII. Verùm ut à diverticulo hòc ad viam redeamus, ea quæ ad *Synonyma* Logicæ faciunt, examinanda sunt. Hæc varia sunt, *alia incomplexa, alia complexa: alia primaria, alia secundaria: alia propria, alia impropria*: Quæ prolixius persecutus est sæpe cit: Dn. L. Wagner (x). Nos famosiora tantùm, & quæ videntur controversa leviter attingemus. Maximè autem usitatum est *Synonymum* Logicæ *Dialectica*, quod juxta judiciosissimum Dannbawerum (y) ex usu loquendi Aristotelico æquè latè, & æquè angustè accipitur. Æquè enim latè patere dicitur, quando totam ratiocinandi doctrinam complectitur: æquè angustè, qu. notat doctrinam ratiocinandi ex Probabilibus. Si usum verò hodiernum, qui inveteravit apud Logicos, consideremus, *Logicam* sumi pro tota ratiocinandi *Disciplina*, *Dialecticam* verò pro parte tantùm, adeoq; *Logicam* & *Dialecticam* differre ex hoc usu ut totum & partem deprehendimus. Præsertim verò si *Etymologiam* & *Derivationem* ejus spectemus, id evenit. Quò argumentò nixi Beati Viri *Jacobus Martini* (z), & *Scharffius* (a) distingvunt *Logicam* & *Dialecticam*, dicuntq; illam se habere ut totam artem, hanc verò ut partem & doctrinam de argumentationibus probabilibus. Verùm cum ab *Etymologia* non firma ducantur argumenta, non putamus ea propter esse divellendas. De quo conferri dignus est *Christianus Matthie* (β). *Logicæ* Item *Synonymum* est *ὄργανον* sive *Instrumentum*, quæ appellatio partim desumpta est à proprietate *Logicæ*, siquidem *Logica* est *disciplina Instrumentalis*, & non propter se sed propter alias disciplinas expetitur: partim ex autoritate, sic enim eam *Aristoteles* appellavit. Plura videantur apud B. *Scharffium* (γ), & *Zabarellam* (δ).

§. XIV. Expedità igitur *Subjècti Definibilis* explicatione restat ut *Prædica*.

(x.) l. d. Art: 3. §. 1. (y) *Epic: Dialect: Proem: p. 1.* (z) *Institution: Proem: Cap. 1. p. 2.* (a.) *Institution: Logic: Proem: de Constitut: Log: p. 38.* (β) *System: Logico Theoret: Practic: in Prolegom: Cap. 1. Theor. 17. p. 8. sq.* (γ) l. supr. cit. (δ) l. 1, de Nat. Log. Cap. 1.

dicati Definibilis expositionem aggrediamur. Constat verò, quòd omnis *Definitio* contineat conceptum contrahibilem, quem vocant *Genus*, & contrahentem, quem vocant *Differentiam Specificam*. Circa illum multæ lites, eaq; magis subtiles, quàm utiles seruntur, quibus decidendis nos immorari vix dignum putamus. Ne tamen sine ratione prorsus videamur adversæ partis sententiam rejecisse, quæ substituit pro conceptu generico quemvis adulterinum, ideò unam atq; alteram pro refutatione rationem adducere ad nos pertinere existimamus. Si prius tamen supponamus nos non loqui (1). de *quovis Prædicato*, quod Logicæ solet attribui, ita enim etiam per *Manum*, per *Filum* posset defini; sed de Prædicato essentiali ac generico: Eoq; (2) non remoto, sed proximo: (3) non de Logica accidentaliter sumpta, prout est comprehensio Præceptorū in aliquo Systemate; sed de Logica essentialiter considerata, prout est *Habitus mentis*. His suppositis, quæ neq; pars adversa sine impudentia negare potest, asserimus *Logica genericum conceptum non posse esse* (1) *Scientiam simpliciter*, contra Scotum & Thomam: neq; (2). *Scientiam restrictè*, contra Fonseca: nec (3). denique *Artem*, contra Ramistas, & alios hujus Sententiæ patronos, id quod firmissimis rationibus roborabimus:

§. XV. Et quidem quæ *primum*, Logicam non esse *Scientiam simpliciter* probamus (1). Quia *Logica est disciplina instrumentalis*. E. non potest defini per *Scientiam*. *Consequ.* quia sunt oppositi habitus: Oppositum autem Oppositi sui Constitutionem non potest ingredi (2.) O. *Scientia est rerum necessariorum*: Atqui *Logica non est rerum necessariorum*. E. *Major* patet juxta Canonem: *Scientia est æternorum*. *Min*: quia *Logica vertatur circa tres mentis Operationes, quæ sunt Contingentes*: in quo etiam convenire dicitur cum *Arte*, teste B. Jac: Martini (e). (3) Quia *Scientia consistit in nuda Theoria*, nec tendit ad praxin: Atqui *Logica non consistit in Theoria*. E. *Majoris* & *Min*: robur ultrò patet.

§. XVI. Nec quòq; *Scientiam Practicam* posse esse *Genus Logicæ* prob. (1.) Quia est *Contradictio in adjecto, esse Scientiam, & esse practicam*: siquidem *Theoria & Praxis* sunt differentie oppositæ, quæ non possunt unum specie habitum constituere, & in eo concurrere. Explosa enim jam dudum est illa sententia ex foro sincerè Philosophantium, quæ statuit dari aliquem *Habitus mixtum, ex Theoretico & Practico compositum*. (2) Quia *Genus Logicæ non est scientia*. E. neque *scientia Practica*. *Consequ.* de quo enim negatur *non esse absolutum*, de eo etiam negatur *non esse modificatum*

(e) in *Institutione Proem. Cap. 1. pag. 9.*

catum. (3.) Quia *actus Intellectus Præceptis Logicæ regulati non subsistunt in nuda voce* multominus in *Scogica*; sed tendunt ad praxin. E. *Logica simpliciter erit practica, non verò secundum quid.*

§. XVII. Neq; porro *Artem esse Genus Logicæ* probatur (1.) quia *Ars est itidem habitus principalis.* E. non potest locò generis in definitione stare. *Conseqn.* ultrò patet, siquidem *Habitus principales & instrumentales sunt Oppositi.* (2.) Quia *Ars est habitus effectivus*, qui ita est comparatus, ut effectus ejus extra edatur instrumentis corporeis. Atqui hoc *Logicæ* tribui non potest. E. Hinc teste B. Jac. Martini (2) ad *ποιησις* seu effectum requiritur: (a) intellectus arte *procedens* dirigens, (b) membra externa, ut instrumenta exequentia, (c) post operationem finis *perdurans* extra artem. Jam si quis hæc applicet ad *Logicam*, videbit in convenientiam. Concedimus quidem cum Eodem B. Viro maximam similitudinem *Logicæ* cum *Arte*; negamus tamen identitatem, cum magnum discrimen inter utramq; adhuc inrecedat. Neque etiam confundenda est *ποιησις* cum ipsa *τεχνικη*, quæ duo in Scholis Philosophicis distinguuntur.

§. XVIII. Manet igitur *Genus Logicæ esse Habitum Instrumentalem*, id quod nos in Definitione deinde ponemus. Quod sit *Habitus* extra dubium est, siquidem est *Qualitas* crebris actionibus comparata, quæ *Definitio* est ipsius *Habitus*. Quod verò sit *Habitus Instrumentalis*, id probatione indiget. Probamus igitur (1): Quicumq; *habitus non sui causâ, sed alterius expetitur*, ille est *Instrumentalis*. Atqui *Logica*. E. *Major* fundatur in Definitione *Instrumenti*. *Min:* si enim non propter usum aliarum disciplinarum *Logica* expeteretur, nullius planè per se usui esset: Sed uti aliorum instrumentorum natura in usu consistit, ita etiam *Logicæ*. (2.) Quia *requisita Instrumenti*, quæ à Zabarella (n) traduntur, *Logicæ competunt*, qualia sunt: (a) ut propter aliud, tanquã propter finem assequendum, utile sit: (b) ut foras assumatur: (c) Ut in perficiendis operibus suis opifices adjuti finem suum per illud assequantur: Jam fiat applicatio, & deprehendetur hæc omnia *Logicæ* convenire.

§. XIX. Sed dimissâ lite, quæ circa *Conceptum Contrahibilem* vertitur, ad *Conceptum Contrahentem* seu *Differentiam specificam* discursum nostrum promovemus. Quæ licet quoq; dubia sit & controversa, propter variantium sententias circa *Objectum & Finem Logicæ*, à quibus *Differentia* desumitur; tamen ne in *Leges Almae Facultatis Philosophicæ* prolixitate insuetâ impingamus, paucis, quæ nostra sit sententia, hâc loci exponemus.

B 3

Defini-

(2) l. *supr. cit.* (n) *Lib. 1. de Nat: Log: Cap. 10.*

Definitionis igitur *Differentiam* delumimus partim ab *Objecto*, eoque tum *immediato*, quod nobis sunt Operationes Intellectus; tum *mediato*, quod sunt res omnes: partim à *Fine*, qui itidem vel est *internus*, & à nobis statuitur esse *directio*; vel *externus*, qui est *Veritatis facilior perceptio*. Hæc omnia etsi facilitate eâ possint rejici, quâ dicuntur, cum sine probatione proponantur; tamen cum non sit hujus tractationis de illis pluribus agere, sufficiat tantum eorum meminisse, de quibus in *Præcognitis Necessariis*, tanquam in *Propria* sede ex professo agitur. Suppositio igitur hic & nunquam, tanquam vero, *argumentamur*: Per quod *Logica* constituitur, & ab aliis *Habitibus* specificè distinguitur, illud est *eine Differentia*. Atqui per hanc à nobis assignatam *Differentia* *Logica* in esse constituitur, & ab aliis distinguitur. *Max* patet ex *Differentiæ legitimæ* requisitis, *Min*, quia nulli *Disciplinæ*, sive *Objectum*, sive *Finis* sub hoc formali competit.

§. XX. *Evolvendæ* porro *Causæ* sunt, quæ itidem ad *momentum primum* pertinent, scire enim rem est per causas cognoscere, ut effectum habet *Philosophorum*: igitur eas præterire *methodi nostræ* leges non patiuntur. *Causas* equidem *internas* *Logica* non agnoscit, cum sit *Accidens* & *Qualitas* in intellectu hærens: Absurdum autem est *Accidenti* materiam & formam attribuire; tamen analogicè *Materia* possunt esse tum *Objectum* *Operationis*, tum *Subjectum* *Inhæssionis*: ut & *Forma*, ipsa *Differentia*, per quam *Logica* specificatur & distinguitur ab aliis. Sicut enim *materia* & *forma* *Physica* dat esse & distingui *corpori naturali*, ita quoque *materia* & *forma* analogicè sumptæ possunt dici tribuere *Logicæ* esse & distingui. *Quidam Vir Clarissimus* distinguit inter *Materiam* & *Formam* analogicè sumptas ὁλικῶς, quatenus totum esse absolvunt; & μερικῶς, prout partialiter & distinctè expenduntur. Priori modo *Materia* absolvit *Genus*, posteriori materiale *Objecti*. Eadem ratione habet & *Forma*, priori modo sumpta habet rationem *Differentiæ*, posteriori formale *Objecti* constituit.

§. XXI. *Causa Efficiens* & *Finalis* *Logicæ* nihil difficultatis habent, sed ex communi doctrina aliorum *Habituum* facillè innotescunt. Uti verò *Causa Efficiens Universalis* est ipse *DEUS*, qui est *omnis Boni* Autor, ita etiam *finalis* *Ejus gloria* erit. *Particulares* autem variæ sunt: *Causa* enim vel est *movens*, quæ fuit *Perfectionis Organice* *Desiderium*: vel *agens*, quæ partim *Admiratio*, partim *Experientia*, quam secuta est *Actualis* *rationatio*, & hanc *Habitus*. Dubium autem hic movetur: quinam *primus Inventor* & *Autor* fuerit *Logicæ*? variant hinc sententiæ, de quibus potest videri *Carol. Franc. d'Abne*

d *Abm de Raconis* (9). Nos distinguimus inter primam *Logica Inventionem*, & ejus *perfectionem*: hanc non illam tribuimus *Aristoteli*. In quo etiam habemus nobis suffragantem citatum *Abm de Raconis*, qui nonnullas ante *Aristotelem* extitisse *Logicae* partes asserit. *Finis* particularis minimè extendendus est cum *Keckermanno* (1) ad *effectus salutare*s, cum longè aliud principium hi requirant; sed tantùm ad *usum organicum*, qui in dirigendis actibus intellectus occupatur. Neque aestimandus est *Finis* ex intentione *tractantis*, qui potest esse varius; verùm ex *natura ipsius Disciplina*.

§. XXII. Jam ex dictis & probè omnibus in partibus suis examinatis hæc legitima emergit *Logicae* Definitio: *LOGICA est Habitus Instrumentalis, Operationes Intellectus in rerum cognitione dirigens, ad meliorem Veritatis perceptionem*. In qua Definitum est *Logica*: Genus Definitionis *Habitus Instrumentalis*: Subjectum immediatum *Operationes intellectus*; mediatum res: *Finis internus per se dirigens*; externus per *melio*rem veritatis perceptionem declaratur: ex quibus desumitur Differentia ipsius Definitionis.

§. XXIII. Tantùm de Definitione, in qua præcipuum caput consistit *Præcognitorum Utilium*, & quidem *momentum primum* concernens. Jam expendenda est *Partitio Logica*, quæ etiam non minùs ut alia hujus *Tractationis* capita in *Controversiam* venit. Quia tamen non licet omnia hic ad ultimum usq; pulvisculum refecare, ob defectum pagellæ, ea tantùm attingemus, quæ communissima sunt. Et licet *Logica* unus sit *Habitus*, adeoq; indivisum quid; tamen, quatenus ad cognoscendum proponitur, & aliter atq; aliter intellectui objicitur, sicut alia objecta in se indistincta distingvi solent in conceptus inadæquatos, ideò pro diversitate considerandorum in diversas quasi classes & partes dividitur ac dispescitur. Cum verò *triplicia media* sint, quæ dirigunt *Operationes Intellectus*, eaq; *Logicus* ex professo considerare debeat, tanquam essentialia capita *Tractationis*: hinc juxta triplicia hæc media, *triplex* quoq; *Pars* constituitur *Logicae*: *Prima*, quæ agit de *Terminis*: *Secunda*, quæ de *Enunciatione*: *Tertia*, quæ de *Discursu* atq; *Methodo* præcepta tradit. Illa suppeditat media, quibus *Prima*: ista, quibus *Secunda*: hæc deniq; quibus *Tertia Mentis Operatio* dirigitur: ita ut qui hæc ritè exequitur, is veri *Logici* partes adimpleat. Probatum verò hanc legitimum esse *Divisionem*: [1.] *Ex adæquatione*. Nihil enim potest dari in *Logica*, quod non ad has tres partes commodè referri queat. E. est bona & adæquata divisio: [2.] *Ex fine ipsius gemino*. Quia *Logica* inventa est ut dirigat functiones nostri *Intellectus*: Atqui hæc triplicis generis sunt. E. etiam

(9) in *Præludii Logicae, Sect. I. cap. 3. p. 5. 6.* (1) *Libr. I. system. Theol. c. 4.*

E. etiam triplex pars erit, quæ triplicia media pro dirigendis functionibus Intellectus tradat.

§. XXIV. Discedimus verò hîc, sed modestè, ne in claros Venerandæ Antiquitatis Cineres minùs verecundi alicui videamur, ab illa *Sententia Communi*, quæ dividit Logicam in Partem *Generalem & Specialem*: (1.) Quia hæc divisio est *Disciplinarum Theoreticarum*, quæ methodò *Syntheticâ* tractantur: At Logica non tractatur methodò *Syntheticâ* E. hanc divisionem non admittit. (2.) Quia hæc sententia supponit eam hypothesin, quòd *Syllogismus sit Finis Logicæ*, ad quem omnia reliqua referuntur: At nos cum finem Logicæ esse negamus. E.

§. XXV. Rejicimus quoq; hîc loci *Divisionem Ramæorum*, qui Logicam dividunt in *Inventionem & Dispositionem*, quod inde probatur: (1.) Quia hæc divisio est *inadequata*: excluditur enim per eam Methodus, quæ neq; ad *Inventionem*, neq; ad *Judicium* pertinet. Non ad illam, siquidem ex mente Ramæorum *Inventio* agit tantùm de argumentis *inveniendis*: neq; ad hoc, quia *Judicium* versatur circa *dispositionem* argumentorum, quod *Methodo* non potest attribui. (2.) Quia hæc partes non sunt *oppositæ*, sed *subordinatæ*: qui enim in *Inventionem* occupatur, illum necesse est etiam *judiciò* uti: hæc enim duo sibi *mutuas operas* ferunt.

§. XXVI. Jam agendum esset de *Attributis*, quæ ad *Momentum Secundum* pertinent, & vel *absoluta* vel *respectiva* esse dicuntur: Illaq; constituuntur à quibusdam *Perfectio, Unitas, Veritas, Bonitas*: hæc verò *Necessitas, Utilitas* &c. sed quia hæc prolixius tractare non permittit pagella, idèò hic finem facimus, benevolum Lectorem ad toties laudatum Dn. Lic. Wagnerum (*) ablegantes. (*) l. c. Dogm. V.

COROLLARIA.

- I. Logica ex Logica nata est.
- II. Theologo in statu perfecto considerato absolute necessaria est.
- III. Et licet non tradat Veritatem Sententiarum, tamen veritatem Connexionum.
- IV. Verbum Logicum non significat exclusive tempus Physicum.

GLORIA TRINUNI!

Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

V3 17







Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

V.

CES

EORIA

ALI,

UTILIBUS,

ES

PLATANI,

ENS

RUSIUS,

ngari,

is antemeridianis,

LXXVI.

ilosophico

tabunt.

BORCKARDI, Acad. Typ.

LIBERHIRT.

2790

74

